

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. Nr. 296.

Gesner, Jul., Belg. disputaciones)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7



DISPUTATIO VIII.

De Octavo traditionum genere.

CVIVS POSITIONES, EX PRIMA PARTE EXAMINIS CONCILII TRIDENTINI REVERENDI ET Clarissimi viri Dn. D. MARTINI CHEMNITII extractas

Sub praesidio

SALOMONIS GESNERI

S. S. Theologiae Doctoris, & Academiae VVitebergensis Professoris Publici in Collegio privato disputationum Theologicarum ad diem 8. Aprilis hora matutina septima defendendas proponit

LVDOLPHVS MEDEBECHIVS


Bismarchiensis Palaeomarchicus

Augustinus lib. 3. Contra Maximum Arrianum Cap. 14.

Nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminense tanquam praedicaturus proferre Concilium. Nec ego huius auctoritate, nec tu illius detineris: Scripturarum auctoritatibus, non quorumcunq; proprijs, sed utriusq; communibus testibus, res cum re, caussa cum caussa, ratio cu ratione certet.

VVITEBERGAE,

Typis VVolfgangi Meisneri, Anno 1062.





REVERENDO ATQ;
CLARISSIMO VIRO, Dn. M.
SABELLO CHEMNITIO, Veteris Marchiæ
Superintendenti generalissimo, & eiusdem in Me-
tropoli Stendalia urbe Pastori vigilantissimo, Do-
mino affini ac promotori suo plurimum
honorando,

Prudentissimo ac Consultissimo Viro

Dn. **LVDOLPHO SINAPIO**

*Illustriss. ac potentissimi Principis ac Dn. D. IOACHI-
MI FRIDERICI Electoris Brandenburgici Qua-
stori Spectatissimo*

PRUDENTISSIMO AC MVLTQ RERVM
usu probato Viro

Dn. **IACOBO BETCHE** patriæ
Consuli

AC

REVERENDO ET DOCTO VIRO
Dn. **PAVLO MEDEBECHIO**

*Ecclesie Bismarchiensis Pastori dignissimo, Patri suo;
Dominis Promotoribus atq; Mæcenatibus suis omni
animi observantia colendis*

Hoc { *Theologici studij Tyrocinium*
Exercitij argumentum
Observantiæ, Τεκμήριον

offert & dedicat

Ludolphus Medebechius Bismarchiensis
respondens.

THESIS I.



Actenus in duabus immediatè præcedenti-
bus disquisitionibus vidimus septem illa tra-
ditionum genera, partim ἔγραφα: partim ἐ
scripturis deducta: Sequitur iam octavum &
ultimum ἔγραφορ, pro quo acerrimè Papi-
cole pugnant & dimicant.

II.

Intelligunt autem Pontificij non traditiones, quas vete-
res ita vocant, quæ habent scripturæ testimonia, & illis sunt
consentanea; Sed illas, quæ nullo scripturæ testimonio probari
possunt, quas tamen pari reverentia & pietatis affectu Conci-
liabulum illud malè feriatum Tridentinum suspiciendas & ve-
nerandas imperat, sicut scripturam ipsam.

1. Quid
proprie
traditio-
nes Ponti-
ficii appe-
lent.

III.

Indigitantur autem nomine traditionum, oblatio sacrificij
altaris, unctio Chrismatis, invocatio sanctorum, merita ope-
rum, primatus Pontificis Romani, consecratio aquæ in baptis-
mo, totum Sacramentum confirmationis, elementa, verba & ef-
fectus Sacramenti, ordinis, matrimonij, & extremae unctio-
nis, orationes pro defunctis, enumeratio omnium peccatorum sacri-
ficulo faciendæ, necessitas satisfactionis, mutilatio Cæna Domi-
nicæ, cælibatus Sacerdotum, delectus ciborum, purgatorium,
mundinatio indulgentiarum, cultus imaginum, legenda San-
ctorum, & uno ut dicam verbo, quicquid credit, tenet & servat
Romana Ecclesia, præter & extra scriptum Dei verbum, id no-
mine traditionum Apostolicarum venit.

Ex 1. des
cret. IV.
sels.
Fr. Petrus
à Soto in
defens.
Catholicæ
suz Cons
fessionis.

IV.

Ex hoc autem traditionum genere, omnes corruptela cæ-
lestis doctrinæ & universæ superstitiones in regno Papali pro-
manarunt. Opera proinde precium est, regulis aliquot rem
complecti, quibus patcat, tum unde illa colluvies Papisticarum

A 2

traditio



traditionum originem traxerit, tum etiam, quemodo quovis tempore damnata fuerit: Atq. hinc rectius spurias ac adulterinas traditiones à pijs dignoscere & validius refutare discemus.

I. Regula:
Tempore
Apostolorum
falsa
dogmata
per tradiciones
sunt spar-
ta.

V.
Prima observatio seu regula est, quòd viventibus adhuc in carne ipsis Apostolis in Ecclesiis, in ipsorum absentia, puritas doctrina non semper fuit per traditiones sine scripto fideliter conservata: sicut ostendunt Ecclesia Corinthiorum & Galatarum.

VI.
Et propter hanc ipsam causam Apostoli doctrinam suam caperunt literis comprehendere & Ecclesiis commendare: id quod supra multis & evidenter demonstratum est.

VII.
Paulus etiam monet Ecclesias, ne sinant se turbari & decipi sub titulo & pretextu traditionum 2. Thess. 2. & Coloss. 2. ait: Videte ne quis vos seducat per inanem deceptionem secundum traditionem hominum. Petrus etiam cum imminente vita sua sine postremam scriberet epistolam, pradicat futuros falsos doctores, qui fictis sermonibus, negociaturi sint in Ecclesia 2. Pet. 2.

Hæretici
tempore
proximo
post Apo-
stolos.

VIII.
Et quæ fuerit hæreticorum petulantia statim post Apostolorum tempora, testatur Irenæus lib. 3. cap. 2. ita scribens: cum ex scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum scripturarum &c.

IX.
Et Tertullianus de præscriptione adversus hæreticos dicit, ipsos, cum ex scripturis commenta sua probare non possent, sed inde refutarentur, duo præ tendisse: vel Apostolos non omnia scisse, quia Christus dicat: Multa habeo adhuc vobis loqui, sed non potestis ea modo sustinere: vel Apostolos quidem nihil igno-
rasse.

rasse, non autem omnia illis omnibus revelasse, quaedam palam
& universis, quaedam secreto & paucis demandasse.

X.

Sed hoc commentum egregie refutat Tertullianus: Domi-
nus enim precipit, inquiens, ut si quid in tenebris & in abscon-
dito audissent, in luce & in tectis predicarent, lucernam non
sub modio absconderent, sed super candelabrum const. tuerent.
Irenaeus allegat illud Pauli Act. 20. Non subtraxi vobis ut non
annunciarem omnem sententiam Dei. Et addit: Ita & Lucas
sine invidia qua didicerat, tradit, inquiens: Sicut tradiderunt
nobis, qui ab initio &c.

XI.

Ita sequentes etiam haeretici pallium traditionum corrup- Artemons
telis suis induerunt. Sicut Eusebius lib. 5. cap. 23. recitat: Ar-
temonem de doctrina sua quasi antiquam gloriatum esse. Majo-
res enim omnes, ipsos etiam Apostolos ita sensisse & docuisse.
sed reclamant ipsi, inquit Eusebius, primum divina scriptura,
deinde antiquiora fratrum scripta.

XII.

Clemens libro 7, Stromatum dicit, Basilidem gloriatum Basilides
se Glaucia quodam, qui fuerit interpres Petri, magistro usum:
Valentinum audivisse Theodatum, Pauli familiarem: Marcio-
nistas gloriatos se Matthiae discipulos habuisse magistros: Et si-
mile Athanasius oratione 2. contra Arrianos, de Arrio reci-
tat, qui scripto suo, cui titulus fuerit Thalia; ejusmodi exordiū
proposuerit: Ex electis Dei secundum fidem, peritis Dei recti-
gradis, qui sanctum & Dei spiritum acceperunt, ita didici
ego &c. Arrius.

XIII.

Secunda regula, e qua de pontificiorum agraphis traditio-
nibus judicari & statui potest, hac est, quod ex historia Ecclesia-
stica constat non tantum haereticos seductos alios seduxisse, pra-
terea & titulo traditionum non scriptarum: verum etiam ex-
cellen-

2. Regula,
quod et-
iam pñ vie-
ri per tras-
ditiones
sint sedus
cti,

A 3

cellen-



cellentes in Ecclesia viros, qui non fuerunt mali, deceptos tamen fuisse, cum præter scripturam traditionibus non scriptis nimium tribuerent.

Papias.

Cuius rei memorabile exemplum suppeditat Papias, qui Iohannis auditor & polycarpi condiscipulus fuit, is enim dicere solebat: Cogitabam me non tantum utilitatis ex libris, quantum ex viva voce relaturum. Sed Eusebius ait, multa paradoxa & alia quædam Papias tanquam ex traditione non scripta, ad se relata adicit, & peregrinas quasdam Servatoris parabolas & doctrinas cum alijs nonnullis fabulosis, cum quibus etiam est Chiliaistica opinio. Eusebius lib. 3. cap. 39. &c.

XIV.

Chiliaistica opinio.

Et sanè admiratio traditionum non scriptarum & præter eius antiquitatis, extra, præter, & supra scripturam à sana fidei regula seduxit etiam alios bonos & præstantes in Ecclesia viros. Quasquidem Chiliaisticam opinionem ex traditione quasi Apostolica amplexi sunt Irenæus, Apollinarius, Tertullianus, Victorinus & Lactantius: sicut annotavit Hieronymus.

XV.

Clemens Alexandrinus.

Huc etiam pertinet imprimis exemplum Clementis Alexandrini, qui libro 1. Stromatum, commemorat, se audivisse multos beatos viros, qui maximi fuerunt precij, ex Grecia Cælosyria, ex Ægypto, ex Oriente. Bonit autem tale ἀξιωμα, quare non contentus sit scriptura, sed præter illam quærat alias traditiones de dogmatibus fidelium, quia scilicet Dominus non revelavit multis ea, quæ non erant multorum, sed paucis, quibus sciebat convenire: ἀπόρρητα verò inquit verbo creduntur non scripto, item: mysteria traduntur mysticè.

XVI.

XVII.

Et libro 5. extat longa disputatio. Sicut philosophi quædam arcana de suis dogmatibus ita occultarunt, ut non essent manifesta omnibus: (quædam enim vocarunt ἔσωτῶρικα, quædam

dam et regimē.) ita Apostolum etiam conservantem antiquam illam occultationem docere ait; Sapientiam loquimur inter perfectos.

XVIII.

Et libro 6. prolixè commendat peculiare quoddam genus Gnosticorum, quos ita describit; Cognitio qua verum Gnosticum facit, illa est; qua per successionem ad paucos ex Apostolis absq. scripto tradita pervenit.

Gnostici.

XIX.

Ex his autem & similibus traditionibus non scriptis absurdissima dogmata Clemens hausit, verbi gratia: quod libro 1. Stromatum tradit, sicut Iudæis lex fuit pædagogia in Christum, ita & Græcis philosophia. Et postea addit: per se quoq. aliquando Græcos justificabat philosophia. Multa enim sunt via ad vitam, Et lib. 2. Stromat: dicit, Apostolos post mortem etiam mortuis prædicasse: ibidem secundam tantum concedit pœnitentiam lapsis. Lib. 3. ait: Paulum secundas nuptias ex venia concedere. Lib. 4. siue hic siue alibi agatur pœnitentia perinde est: nullus enim locus vacat misericordia Dei. Libro 6. multis contendit, Græcos per philosophiam esse salvatos. Et Apostolos evangelium annunciassè apud inferos, ut non maneat in damnatione, qui in vita non potuerint audire Evangelium &c. Lib. 7. disputat, perfectum non debere jurare, & Christianos non posse contendere in iudicio, nec coram gentibus nec coram sanctis.

Absurda dogmata Clementis.

XX.

Tertia observatio est, quod veteres quidam ex apocryphis siue adulterinis scriptis, quæ prorsus rejecta fuerunt, ut supra ex triplici ordine librorum patuit, multa sub titulo traditionum citant.

3 Regula traditio nes citatæ ex apocryphis.

XXI.

Ut pote Clemens libro 2. Stromatum ex libro pastoris Hermæ probat, Apostolos etiam post mortem prædicasse illis, quæ antea infidelitate mortui fuerant, & illos conversos vivificasse.

Pastor Hermæ.

Libro



Libro 6. ex apocryphis Petri & Pauli probat Gracos per philosophiam esse salvatos; ibidem ex pastore Hermæ probat in scriptura discedendum à litera, & querendas allegorias, & ita quidem ut ipse Decalogus in varias allegorias transformetur, & libro 3. dicit; Taciani sectatores conjugium damnasse, citatis sententijs quibusdam Christi ex Evangelio secundum Aegyptios, veni ad dissolvendum opera famina. Item, quam diu vos famina paritis, mors vigebit.

XXII.

Tertullianus & Basilius dicunt esse Apostolicam traditionem Crucis signo digitis in aëre formato omnia signare, sed hoc Evangelium sumtum est ex Evangelio Nicodemi, ubi etiam Christus in inferno facit signum Crucis super Abraham & sanctis, & latroni dat signum Crucis in manu, & inquit; Si custos paradysi noluerit te intrmittere, ostende illi signum Crucis.

XXIII.

Elias &
Enoch,

Vetus fertur traditio, Enoch & Eliam reversuros ante extremum diem & preliaturos cum Antichristo: sed sumtum hoc est ex apocrypho Evangelio Nicodemi.

XXIV.

Epiphanius
absurda ex
apocryphis.

Epiphanius adeo delectatus fuit huiusmodi traditionibus ex apocryphis ut magis probet Christum, juxta apocryphum pro-
tevangeliū Iacobi, in spelunca quadam in itinere natum esse, quam in ipsa civitate Bethlehem in stabulo. Libro 2. Tomo 1. heresi 59. citat & defendit Canonem, de cœlibatu sacerdotum: ita ut in sacerdotio non utantur conjugio. Et libro 2. Tomo 1. Contra apostolicos dicit, ad interpretationem scripturæ opus esse traditione. Quin etiam longius progreditur Epiphanius & traditiones opponit scripturæ. Vbi enim Paulus in genere scripsit 1. Cor. 7. Virgo si nupserit, non peccat; Epiphanius opponit traditionem ex apocryphis illis Apostolorum constitutionibus, peccatum esse, post decretam virginitatem ad nuptias reversi &c.

25. Quarta

XXV.

Quarta regula est, quod patres multas aliquando vetustiores consuetudines, cum earum origo non facile monstrari posset, statim ad Apostolos, quasi ab ipsis traditas, ut major esset earum autoritas, retulerunt: quas tamen Apostolos non habere autores, ex alijs veterum scriptis liquido probari potest.

4. Regulae
traditio-
nes anti-
quae cons-
uetudin-
is.

XXVI.

Verbi gratia Epiphanius constanter asserit, jejunium quarta feria & sexta Ecclesiam habere ex traditione Apostolorum: jejunium etiam quadragesimae Ambrosius, Hieronymus & alij tribuunt traditioni Apostolorum. Sed Augustinus epistola 86. negat praecepto Domini vel Apostolorum definitum esse, quibus diebus jejunare oporteat. Et Irenaeus apud Eusebium lib. 5. cap. 26. scribit de specie jejuniij ante pascha esse disceptationem & variam Ecclesiarum consuetudinem, tandemq; post prolixam commemorationem concludit, quod nemo hac de re possit ostendere scriptum aliquod mandatum.

Ieiunium.

XXVII.

Idem de celebratione paschatis apud Eusebium lib. 5. cap. 26, & apud Socratem lib. 5. cap. 22, nec non de orationibus pro mortuis apud Epiphanium contra Aërium & Chrysostomum homilia 69. commemorari posset.

XXVIII.

Quinta observatio est, quod ex Montanistarum statutis & observationibus multa irrepsert in locum communem de traditionibus. Opus igitur est vigilantij iudicio.

5. Regulae
de Mon-
tanicis
traditio-
nibus.

XXIX.

Et duo sunt in primis, quae Montanus ex paraclete suo citra scripturam se habere commentus est. Nam apud Eusebium libro 5. cap. 18. Apollonius de Montano dicit: Hic est ὁ δὶ δὲ ἀεὶ ἀύσεε γάμων qui docuit destructiones nuptiarum. Quod autem nuptiarum solutio, quam Montanus tradidit, fuerit secundarum, tertiarum &c. nuptiarum prohibitio & μονογαμία solius appro-

Montanus
nuptias
soluit.

B

batio

batio constat ex Tertulliano, qui ejusmodi *μονογαμία* precipue
 urget in sacerdotibus, de qua interpretatur illud Pauli, Episco-
 pus sit unius uxoris vir.

XXX.

Atque eandem Montanicam d. Ti Paulini, de unis episco-
 porum nuptijs hodie quoque pontificij urgent & defendunt.

XXXI.

Montanus
 jejuniorum
 speciem
 mandavit.

Alterum est quod Apollonius Montani trahit, quod ait
 d. vi. i. c. *νομοθεσία* qui leges jejuniorum prescripsit, ubi voca-
 bulum *νομοθεσία* non significat liberam constitutionem, sed ne-
 cessariam legem, sicut ex Socrate l. bro 5. cap. 25. colligitur, quod
νομοθεσία sit quando scilicet non relinquitur cuiusque sententia
 & voluntati liberum sed fertur lex necessitatis additis commi-
 nationibus peccati & pœnarum, si non hoc modo observetur. Et
 ejusmodi necessariam jejuniorum observationem Montanum
 introduxisse ex orthodoxorum objectionibus, quas Tertullia-
 nus libro de jejunio recitat, cuius ad oculum patet.

XXXII.

Ceremo-
 nia circa
 baptismum.

Sic etiam ex eadem schola Montani profectum est, quod
 ceremonia circa baptismum, quales sunt unctio, signatio cru-
 cis & manus impositio, non pro externo saltem ritu, sed pro ne-
 cessaria parte substantiae baptisimi habita fuerunt; Quemad-
 modum ex libro Tertulliani de resurrectione carnis, & Cypria-
 ni libro 1. epistola 2. manifeste colligitur. Vnde Cornelius apud
 Eusebium l. b. 6. cap. 33. dubitat Novatum accepisse bap-
 tismum, & Spiritum Sanctum, siquidem ab episcopo obsignatus non
 fuerit secundum Ecclesie Canonem.

XXXIII.

Montani-
 stica sa-
 tisfactio-
 nes.

A Montanistis etiam habuit Cyprianus, quod docet abso-
 lutionem non valere, nisi per solutas satisfactionibus canonicis,
 ut in sermone de elem. syna disputat. Peccata que ante bap-
 tismum committuntur Christi sanguine & sanctificatione dimittuntur.

si, qua verò postea committuntur, nostrorum operum sacrificijs
purganda esse.

XXXIV.

Sextò hoc quoq; diligenter considerandum est, quòd pontifi-
cij multas suas traditiones stabilire conantur ex adulterinis &
suppositiis scriptis.

6. Regula
traditio-
nes ex
adulteri-
nis scri-
ptis.

XXXV.

Verbi gratia ex epistolis Ignatij nonnulla depromunt pon-
tificij ad errores suos stabilendos, quale est quod in epistola ad
Trallianos habetur: Quid enim est episcopus, nisi qui principa-
tum omnem & potestatem supra omnes obtinet, & in epistola ad
Philadelphenses, principes & Casarem episcopo subijcit, nec non
in epistola ad Smirnaenses, scriptum est, inquit, honora fili-
um Dei & regem: Ego verò dico, honora quidem Deum ut au-
torem universorum & Dominum, episcopum autem ut sacerdo-
tum principem, imaginem Dei ferentem: Dei quidem per
principatum, Christi verò per sacerdotium: & secundum ab
eo honorare regem oportet &c. Et in epistola ad Philadelphens-
es ab Archivis & authenticis evangeliorum libris ad Spiritum
& pontificem provocat, Audivi, inquit, quosdam dicentes,
nisi in Archivis Evangelium invenero non credam: talibus au-
tem ego dico quod mihi Archiva Iesus Christus est, & mox subij-
cit, non enim spiritui Archiva preponuntur: & melior est pon-
tifex, cui credita sunt sancta sanctorum, cui soli credita sunt
secreta Dei.

Epistolæ
Ignatij.

XXXVI.

Has & eiusmodi similes sententias pontificij ex Ignatij e-
pistolis decerpunt, sed supposititias esse nullum est dubium. Nam
Theodoretus in tertio dialogo ex epistola ad Smirnaenses citat
Ignatij sententiam contra quosdam hereticos sic habentem,
quæ agisix & oblationes non admittunt quod non confiteantur
quæ agisix carnem esse Salvatoris nostri Iesu Christi, quæ pro

B 2

peccatis

peccatis nostris Pascha est, quam pater sua benignitate suscitavit. Ea verò hodie in epistolis Ignatij nusquam apparct.

XXXVII.

Sic Hieronymus tertio dialogo contra Pelagianos dicit: Ignatius vir apostolicus & martyr scribit audacter: elegit Dominus apostolos, qui super omnes homines peccatores erant. Sed illam quoque sententiam Ignatij epistola, qua nunc extant, non habent.

XXXVIII.

Ad hæc reperiuntur in illis epistolis quæ & scripturæ & orthodoxæ antiquitati sunt maxime contraria, quod vel unico hoc patet exemplo. Nam in epistola 5. quæ est ad Philippenses, ita hodie legimus; Si quis Dominico die aut Sabbato jejunaverit, præter unum Sabbathum, is est Christi intersector. Cum tamen Augustinus epistola ultima ad Hieronymum affirmet, Romæ Sabbatho jejunari solitum fuisse: & epistola 86. ait; etiam die Dominica jejunare licitum esse.

XXXIX.

In eadem Ignatij ad Philadelphenses ita nunc scriptum est: Si quis cum Judæis pascha peregerit aut festi eorum symbola susceperit, is particeps est & socius eorum, qui Dominum occiderunt, & apostolos ejus. Atqui Polycarpus & Polycrates cum Judæis pascha celebrarunt, eamque consuetudinem se ab Apostolis habere tradiderunt, quam tamen non ut rem necessariam Ecclesiis imposuerunt, sed liberam reliquerunt ut patet apud Eusebium libro 5. cap. 23. & Sozomenum lib. 7. cap. 19.

XL.

Sunt etiam in eisdem epistolis non pauca pontificiorum doctrinæ & praxi contraria, verbi gratia, quod in epistola ad Philadelphenses hæreticos percutere aut persequi Christiani prohibentur, & ibidem præcipitur ut omnes sine discrimine una fide, una prædicatione, & una *ἐκχρησισι* utantur, & quod denique Petrus, Paulus & alij Apostoly nuptijs operam dedisse perhibentur.

48. Hæc

XL I.

Huc accedit quod Eusebius libro 3. cap. 35. & Hieronymus in Catalogo septem solummodo Ignatij epistolas ad certas ecclesias scriptas numerat, unde constat spurias esse ad Mariam, ad Tharsenses, ad Neronem, ad Antiochenas, ad Philippenses, & quibus potissimum suas traditiones desumunt pontificij.

XL II.

Deniq; quod genuinae Ignatij epistola nihil illarum nugarum, quas papista jaectitant, continnerint, ex eo constat, quod Polycarpus apud Eusebium lib. 3. cap. 33. testatur, Ignatium nihil scripsisse aliud, quam quod fidem & patientiam, & quamvis adificationem in Dominum nostrum tendentem doceret.

XL III.

Exiant praeterea in formis conciliorum epistola & multa proluxa scripta primorum & vetustissimorum pontificum, quae perpetuo citare solent pontificij ad traditiones suas stabilendas. Sed Cusanus Cardinalis libro 3. de concordantia catholica cap. 2. manifeste judicat, ea supposititia & adulterina esse.

Scripta
suppositis
tia in to-
mis conciliorum.

XL IV.

Ejusdem valoris sunt legenda sanctorum, quae propter nimis palpabilem impudentiam jam & doctis & vulgo sordere ceperunt. Verbi gratia, Matthaeus ibi instituit jejunium quadragesimale & certorum temporum, interdicit etiam certis diebus esum carniuum: docetur ibi Andream post mortem invocandum, ut misereatur meretricis cuiusdam. Ibi Thomas matronas quasdam ad Christum conversas hortatur, ut deserta conjugali consuetudine perpetuam castitatem voveant: ibi Christus apparens quasdam mulieres e matrimonio ad caelibatum advocat. Quae, & his similia innumera, cum manifesto Dei verbo & evidentissime pugnant Gen. 2. Matth. 19. 1. Cor. 7.

Legenda
sanctorum.

XL V.

Postrema Regula haec est, quod pontificij non verentur multa ad apostolorum traditiones referre, quae ab alijs auctoribus

7. Regula
traditio-
nes diversis

GA

A 3

bis



As tempo-
ribus ex-
cogitata.

Canon
missæ.

bus multò posterioribus instituta & profecta esse ex ipsis pontificiorum scriptoribus ostendi potest. Verbi gratia totum canonem Missæ cum reliqua theatra pompa esse ex Apostolica traditione sub anathematis metu credendum decernunt pontificij. Cum tamen ex pontificijs scriptoribus ostendi possit ultra 600. annos Romanos pontifices addendo laborasse, donec ex varijs sutelis consarcinatum idolum missæ pontificiæ absolveretur. Idemq; de alijs pontificiæ religionis articulis ostendi posset.

XLVI.

Conclu-
sio.

Atq; ita hæcenus octo traditionum genera distinximus & pertractavimus, quorum primum fuit ἱερατικόν, secundum complectebatur canonica scriptura custodiam, tertium symbola orthodoxæ antiquitatis, quartum interpretationem scripturæ, quintum dogmata quæ bona, certa, firma & manifesta rationatione ex perspicuis scripturæ testimonijs colliguntur, sextum comprehendit orthodoxum consensum patrum; Septimum ritus & consuetudines quasdam vetustas, quæ scripturæ non adversantur.

XLVII.

In postremam autem classem retulimus pontificiorum traditiones, quæ ex scriptura probari non possunt, & quas tamen illi pari pietatis affectu cum scriptura suscipi & observari volunt, inq; ijs stabiliendis sola nituntur Romana Ecclesiæ autoritate & antiqua consuetudine.

XLVIII.

Quibus autem merito respondemus ex ipsorum jure, distinctione octava, consuetudo sine veritate, vetustas erroris est. Nemo consuetudinem rationi & veritati opponat; quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.

SOLI Deo GLORIA

AMEN

AD

AD DOMINUM LUDOLPHUM ME-
DEBECCIVM, AMICVM & commess. sva-
vissimum: contra PONTIFICULORUM FICTI-
TIAS TRADITIONES disputaturum.

R IDICVLVM & tutum cōstruxit Curia murum
Romana: hōc quemvis, qui volet, illa
teget:

Scilicet in sacro non exstant Codice cuncta:
Asservant fidæ tradita multa manûs;
Hoc credas, opus est; quid? si fors quærere per-
gas:

Vndè tibi constat, rectanè cuncta sient?
Non dubites, inquit: Errare Ecclesia nostra
Non potis est; sacro flamine plena tumet.
Mi MEDEBECCI isto commento nonnè no-
vem ausim

Mundos adstruere, & cuncta tueri hodie?
Hospitium commune malis erroribus hoc est:
Non scripta ad nostram cūcta fuisse fidem. Ioh. 20. 31.

Ioh. Georgius Hochstaterus,
Poëta L.

99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405





DA>OC

Retro

VD17







TIO VIII.
litionum genere.

POSITI
 PRIMA PAR-
 CONCILII TRI-
 VERENDI ET
 N. D. MARTINI
 II extractas

afidio
 S GESNERI
 oris, & Academiae VVi-
 is Publici in Collegio
 um Theologicarum
 ora matutina septi-
 das proponit

MEDEBECHIVS
Palæomarchicus
 ta Maximum Arrianum
 14.

lebes Ariminense tanquam
 lium. Nec ego huius autori-
 scripturarum autoritatibus,
 d utriusq; communibus testi-
 aussa, ratio cū ratione certet.

ERGAE,
 leisneri, Anno 1062.

